

EPISTULA LEONINA

CXI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDECIMAM (111) !

ARGUMENTA

MAX REINELT REMEX UTINAM STIPENDIUM ACCIPIAT.....04-11**EQUUS AUREUS – FABULA A MARCO CRISTINI SCRIPTA....12-15****LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.*****Cara Lectrix, Care Lector,***

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam undecimam.

*Hac in Epistulâ Leoninâ primo agitur de **Maximiliano Reinelt** athletâ admirabili et candidato stipendii athletici, quod quotannis datur athletriae athletaeque, qui non solum certamina athletica absolvat excellentissimê, sed etiam simul eximio cum successu praeparat professionem postea exercendam.*

*Idem Maximilianus est remex octonarius a.2012 Olympico nomismate aureo honestatus necnon alumnus Ulmensis Gymnasii Humboldtiani excellens organo modulando **linguaeque Latinae deditissimus.***

*Athleta stipendio donandus eligitur votis per interrete ferendis (**Internet-Abstimmung**). Itaque, cara Lectrix, care Lector, omni qua par est observantiâ **te rogo, ut votum feras, quo Maximilianus eligatur athleta stipendio donandus: <https://www.sportstipendiat.de/>***

*Denique tibi valdê commendo, ut perlegas **Equum aureum**, fabulam scientiae ficticiae, quam scitê conscripsit alter iuvenis magnae spei: **Marcus Cristini**, qui admirabiliter excellit numerosis scriptis suis Latinissimis, quae publicavit omnibus in Latinitatis vivae periodicis.*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominico, 3. m. Iulii, a.2016**



MENS SANA IN CORPORE SANO

IUVENALIS, Satura X 356.

Ut tamen et poscas aliquid uoueasque sacelli
 exta et candiduli diuina tomacula porci, 355
 orandum est ut sit **mens sana in corpore sano**.
 Fortem posce animum mortis terrore carentem,
 qui spatium uitae extremum inter munera ponat
 naturae, qui ferre queat quoscumque labores,
 nesciat irasci, cupiat nihil et potiores 360
 Herculis aerumnas credat saeuosque labores
 et uenere et cenis et plumâ Sardanapalli.



MAXIMILIANUS REINELT

**REMEX NOMISMATE AUREO HONESTATUS MEDICUS FUTURUS
ALUMNUS ULMENSIS GYMNASII HUMBOLDTIANI EXCELLENS
ORGANO MODULANDO LINGVAEQUE LATINAE DEDITISSIMUS**

EPISTULA MATRIS MAXIMILIANI REINELT

Cari amici familiaresque,

Maximilianus noster est unus ex quinque candidatis stipendii athletici anni 2016.

Hoc stipendium a Fundatione Athletis Adiuvandis Germanicâ (Deutsche Sporthilfe) datur athletis athletisque, qui non solum certamina athletica absolvant excellentissimè, sed etiam simul eximio cum successu praeparant professionem postea

exercendam. Agitur de 3.500 € (tribus milibus quingentis euronum).

Athleta stipendio donandus eligitur votis per interrete ferendis.

Is autem athleta accipiet stipendium athleticum, qui plurima vota interretialia acceperit hōc in situ interretiali, qui sequitur:

<http://www.sportstipendiat.de>

Licet unum votum ferre unâquâque inscriptione cursuali (pro E-Mail Adresse); ergo si quis habet complures inscriptiones cursuales, ei licet complura quoque vota ferre.

Vota ferri possunt usque ad d.24. m.Iul. a.2016.

Omne votum valet! Itaque vos omnes rogo, ut participes sitis.

Fortasse vobis etiam continget, ut amicis familiaribusque vestris persuadeatis Maximilianum nostrum eligere athletam stipendio donandum.

Medullitus vos salutat

Isabella Reinelt

Mater Maximiliani

in Latinum convertit
Nicolaus Groß



MAXIMILIANUS REINELT



https://de.wikipedia.org/wiki/Maximilian_Reinelt

Maximilian Reinelt (d.24. m.Aug. a.1988 Ulmâ in urbe natus) est Germanus **r e m e x** ex anno 2010 navis Germanorum octonariae particeps.

Maximilianus primo a.2006 membrum fuit manipuli nationalis, in certaminibus iuniorum mundanis nave octonariâ locum occupavit secundum. Deinde in certaminibus Germanicis U23 ex a.2007 per tres annos ter factus est remex octonarius optimus necnon annis 2007 et 2008 remex quaternarius cum gubernatore optimus. Horum successuum optimorum causâ quotannis nominatus est pro certaminibus U23 mundanis, ubi nave Germaniae octonariâ a.2008 occupavit locum quartum, annis 2007 et 2009 secundum, i.e. factus est vice-victor mundanus.

Simul Maximilianus annis 2008 et 2009 remigavit etiam in certaminibus Europaeis. A.2010 *Ralf Holtmeyer* exercitor Maximilianum invitavit, ut remigaret in nave Germaniae octonariâ. Eius societas patria est Coetus Remigum Ulmensis Danubianus (*Ulmer Ruderclub Donau*).

In Ludis Olympiis Londinensibus a.2012 factis Maximilianus Reinelt nave Germaniae octonariâ peperit **nomisma aureum**.^[1]

A.2013 in certaminibus remigandi mundanis accepit **nomisma argenteum**, post remiges Regni Uniti, ante remiges Civitatum Unitarum. Anno post Maximilianus in certaminibus remigandi mundanis anni 2014 nave octonariâ vectus remigando iterum metam assecutus est secundus. A.2015 in certaminibus mundanis Britannii ita ut duobus annis prioribus Germani superati sunt a Britannis.

Successûs optimi

- 2006: 2. locus, certamina iuniorum mundana, in nave octonariâ
- 2007: 2. locus, certamina mundana U23, in nave octonariâ
- 2008: 4. locus, certamina mundana U23, in nave octonariâ
- 2008: 12. locus, certamina Europaea, in nave binariâ, sine gubernatore
- 2009: 2. locus, certamina mundana U23, in nave octonariâ

- 2009: 6. locus, certamina Europaea, in nave binariâ, sine gubernatore
- 2010: 1. locus, certamina Europaea, in nave octonariâ
- 2010: 1. locus, certamina mundana, in nave octonariâ
- 2011: 1. locus, certamina mundana, in nave octonariâ
- **2012: 1. locus, Ludi Olympii, in nave octonariâ^[1]**
- 2013: 1. locus, certamina Europaea, in nave octonariâ
- 2013: 2. locus, certamina mundana, in nave octonariâ
- 2014: 1. locus, certamina Europaea, in nave octonariâ
- 2014: 2. locus, certamina mundana, in nave octonariâ
- 2015: 1. locus, certamina Europaea, in nave octonariâ
- 2015: 2. locus, certamina mundana, in nave octonariâ
- 2016: 1. locus, certamina Europaea, in nave octonariâ

Iuncturae interretiales

- [Maximilian Reinelt](#) in datotheçâ athletarum [Deutschen Ruderverbandes](#)
- [Maximilian Reinelt](#) in: *Worldrowing.com* (datotheca [FISA](#))
- [Maximilian Reinelt](#) in datotheca *Sports-Reference* (anglicê)
- [Maximilian Reinelt](#) in situ interretiali [Deutschland-Achters](#)

Loci testes

¹□ [Deutschland-Achter gewinnt Gold.](#)
in: *Spiegel Online*. d.1. m.Aug. a.2012,

<https://www.sportstipendiat.de/>

Cursus Maximiliani Reinelt honorum dualis

Maximilianus Reinelt mense Septembri anni 2015 in certaminibus remigandi mundanis nave Germaniae octonariâ peperit nomisma argenteum. Antea îdem nave Unionis Remigum Germanicae (*Deutscher Ruderverband*) ostentatoriâ factus erat remex octonarius totius Europae excellentissimus. Mense Aprili huius anni îdem athleta nomine Coetûs Remigum Ulmensis Danubiani (*Ulmer Ruderclub Donau*) iterum ad unam e desideratis sedibus subrotatis* remigabit accipiendam navi octonariae insitis, quâ Germani participabunt certamen Olympicum Ianuariopolitanum**.

Maximilianus 27 annos natus in Universitate Rurinae Bochumensi studet medicinae humanae pernoscendae. Îdem his duodecim mensibus elapsis superavit 15 clausuras, quarum dimidiam partem notâ primâ (*"sehr gut"*) superavit necnon alteram examinis medicinalis partem notâ secundâ (*"gut"*). Perquam difficile est studia academica, quae complectuntur et practica et institutiones ad lectum aegrotorum et praelectiones obligatorias, coniungere cum exercitiis manipuli remigum item certis diebus horisque participandis. Maximilianus nisi ipse iterum iterumque colloquia faceret cum decano studiorum aliisque hominibus in universitate docentibus, nisi calendario uteretur quam subtilissimê et diligentissimê, immo, nisi ipse esset disciplinâ gravissimâ et constantissimâ, duplicem hunc laborem non exanclaret successu cum optimo.

„His duodecim mensibus elapsis 14 septimanas degi in campis exercendi athleticis necnon multa certamina optimo cum successu superavi. Noster grex his annis peractis nomismata non peperisset nisi exercuisset magnâ cum animi et corporis intentione. Ipse ut post diei turbationes requiescam, in Ecclesiâ Sancti Suitberti paroeciali, quam e campo exercendi domum birotâ rediens praetêrvehor, organo soleo modulari. Modis enim musicis fit, ut anima mea et victorias et clades oblîta paulisper tranquilletur..“

* sêdês subrotâta orig. Rollnitz.

** Iānuāriópolis, -is f. orig. Rio de Janeiro.



**ECCE REMIGES GERMANI OCTONARII A.2012 LONDINIO IN URBE
NOMISMATE AUREO HONESTATI.** Filip Adamski (*a sinistris*), Eric
Johannesen, Andreas Kuffner, Lukas Müller, **Maximilian Reinelt**, Florian
Mennigen, Kristof Wilke, Richard Schmidt necnon Martin Sauer gubernator
iubilant nomismate aureo accepto.



**TRES TEXTUS QUI SPECTANT
AD ATHLETAM LAUREATUM**

CUI NOMEN EST

MAXIMILIAN REINELT

ALUMNUM ULMENSIS GYMNASII HUMBOLDTIANI

**REMIGEM OCTONARIUM
NOMISMATE AUREO
HONESTATUM**

MEDICUM FUTURUM

CANDIDATUM STIPENDII ATHLETICI ANNI 2016

IN LATINUM CONVERTIT

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



EQUUS AUREUS

Iacet extra sidera tellus

(VERG. *Aen.* VI, 795)

Humanitas non iam sola est. Sidera, quae noctu a pueritia mundi frigida micant, arcanum suum maximum patefecerunt: alienigenarum genus. Revera eventus hic necopinatus haud fuit, cum nonnulli diu extraterrestrium adventum expectavissent, sed hi parvi aestimabantur a ceteris civibus et minimi ab aliis caeli stellarumque spectatoribus, id est ab astronomis, quia fabulae ab illis de navibus atque urbibus sideralibus narratae magis ridiculae et fide destitutae videbantur quam antiquorum myathi. Myathi tamen semper aliquid veri in se habent et hora decima die quarto mensis Iulii huius anni, qui litteris maioribus omnibus in historiae voluminibus saeculis futuris editis exarabitur, orbis terrarum universus sententiae huius veritatem invitus agnovit. Nam quis est, qui neget esse et vivere et valere extraterrestres, cum eorum classis palam supra Albam Domum volavisset?

Statim dicendum est lectores lectricesque narrationum scientiae ficticiae statim quodam maerore affectos esse. Nam alienigenae non sunt magni, fortes, crudeles et sanguinis humani sitientes; contra breves, debiles et molles videntur. Facies eorum similis est polypi, corpus ex flagellis flavis decem constat, oculi desunt, illi res echogoniometro quodam naturali percipiunt. Aer noster eis noxius est, qua de causa ambulant sphaeris vitreis inclusi, quae, vi incognita propulsae, facile alienigenas quoquo vehunt.

Extraterrestres, emissionibus radiophonicis plurimis auditis, linguam Anglicam bene callent, itaque paulo post adventum eorum collocuti sunt cum praeside Civitatum Foederatarum Americae. Dialogus memorandus haud fuit. Incolae cosmi urbanitatis obliti (at ii urbanitatem quidem cognoscunt?), plane dixerunt se ad Terram subiugandam venisse. Americanus praeses conatus est hos secretum imperii summum docere, id est quomodo Civitates Foederatae Americae per annos septuaginta mundum rexissent, sed alienigenae, subtilitatis rei politicae nondum experti, quid «ducere e recessu»¹

1 Anglice *leading from behind*.

significaret non intellexerunt. Extraterrestrium legatus, verbis grandiloquis auditis, respondit: «Nos Terram cunctam occupabimus. Homines nostri servi erunt, eis vivere licebit, donec muneribus nobis utilibus, ut aquae metallorumve collectione, fungentur». Americanus administer supremus, qui exercitu uti minime amat, cum more solito pecuniae inopia sit et, ut omnes sciunt, milites, naves et aeroplana plurimi constant, tamen, cunctatione abiecta, minatus est nationes terrestres contra alienigenas pugnaturas esse, si illi violenti fierent. Caelicolarum legationis dux, minime turbatus, flagellum minus movit et, tempore minimo elapso, praesidis telephorum terribili sonitu tinnivit. Navis aeroplanigera Americana *Truman* radio laserico deleta erat.

Tum id accidit, quod semper evenire solet, cum negotium ortum est molestius, quam ut ulla civitas eam vellet conficere: Concilium Salutis Nationum Unitarum Novi Eboraci raptim convenit. Postea secretarius generalis cum alienigenis longe collocutus est, quibus dixit hominibus servire fas non esse nec hoc extraterrestribus prodesse, quoniam humanitas multa eis praebere posset, ut litteras mirabiles, philosophias antiquas, artes pulcherrimas machinamentaue ingeniosa. Legatus risit (si quidem subitus flagellorum motus risus erat) et respondit machinamenta terrestria puerilia esse, litteras aliasque artes vilissimas, cum nemo libris et verbis inanibus umquam pugnavisset vel naves siderales armavisset. Ille gloriatus est alienigenas nihil scribere praeter volumina de bello scientiarumque doctrinis. «Nos – inquit – mythorum ne nomen quidem cognoscimus». Deinde flagella ad secretarium tetendit sibilans: «Nisi omnes terrestres in deditionem intra dies decem venerint, Terram tamquam facem comburemus». His dictis consessum reliquit sphaera sua volitans.

Nocte illa lumina sine intermissione in palatio Nationum Unitarum luxerunt. Primo mane secretarius generalis allocutus est totius mundi homines. Promisit Terrae deditionem intra dies decem. «Una salus victis nullam sperare salutem» conclusit.

Bis diebus quinque elapsis ipse cum extraterrestium legato iterum convenit. «Hodie vobis orbem terrarum tradam. At prius munus vobis donare velim». «Munus?». «Est antiquus hominum mos. Cum natio

vel civitas ad deditioem impellitur, donum pretiosum hostium duci praebet». Legatus tentacula lente movit. Morem hunc palam spernebat, at inutile videbatur indigenarum animos laedere, itaque assensus est. «Munus vestrum accipimus. Quid est?». «Maximum technologiae nostrae opus, machina mira, qua omnes terrestres praesides, administri regesque ratione televisifica cum alienigenarcha loqui poterunt, ut traditionem perficiant. Machinamentum aurei equi instar aedificavimus». «Equus?». «Animal est, quod per innumerabiles annorum series hominibus fideliter serviit. Munere hoc optamus humanitatem equina, immo plusquam equina fidelitate dominis alienigenis famulari posse». Caelicolarum legatus respondit laetus: «Itaque ad navem summi nostri ducis statim donum ferendum curabo, ut, deditioe acta, homines pro nobis laborare quam primum incipiant».

Post horas tres populorum terrestrium munus ad alienigenarcham allatum est. Erat equus aureus magnitudine insignis, in cuius pectore periti opifices televisorium amplissimum fabricaverant. Eius oculi telethecae erant. Alienigenarcha, polypus crassus minio suffusus, sollemniter ad equum appropinquavit. Televisorium expeditum est et confestim vultus secretarii Nationum Unitarum et praesidis Americani apparuerunt. Metallica voce ex eis extraterrestrium dux supremus quaesivit: «Homines, traditisne nobis mundum vestrum?». Silentium altum factum est.

Dein secretarius generalis graviter et firme respondit: «Minime!». Polyparcha verbum non extemplo intellexit, at, interpretatione audita, valde erubuit (videlicet alienigenae quoque rubescunt). «Perfidi terrestres, quid dicitis? Nonne nos decepistis?». Praeses Americanus sine ulla urbanitate: «Abi» inquit «in malam crucem, monstrum putridum!». Haec sententia quid valeret, alienigenarcha vix intellexit, tamen aliquatenus divinavit, nam ira incensus ululavit: «Genus turpe et miserabile! Nos ulciscemur sine misericordia! Bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis! Nos terrestres radiis lasericis exstinguemus una cum orbe hoc miserrimo universo!».

Praeses Civitatum Foederatarum Americae subridens dixit: «Euge, grande solacium est cum universo rapti». Deinde globulum rubrum

capsula, quae ante se iacebat, inclusum pressit. Eodem tempore incolae Vassintonii urbis spectaculum pyrotechnicum inusitatum admirati sunt. Maxima enim alienigenarum navis sideralis conflagravit et, paulo post, aliae quoque, igni consumptae, in favillam solutae sunt. Unde miraculum tantum? Facile dictu: cor aurei equi pyrobolum atomicum erat, quod iocose «Parvus Ulixes» appellabatur. Post haec pauci alienigenae Terram appetere ausi sunt. Usque ad astra extrema sententia nova per ora caelicolarum volitat: «Quidquid id est, timeo terrestres et dona ferentes».

Marcus Cristini



MARCUS CRISTINI (*1992)

Italus Brixianus Laureatus
Universitatis Catholicae
Sacri Cordis Mediolanensis

FABULAM SCIENTIAE FICTICIAE,

C.T.

EQUUS AUREUS

LATINE SCRIPSIT

MARCUS CRISTINI

(Marco Cristini)

ITALUS BRIXIANUS

LAUREATUS

UNIVERSITATIS CATHOLICAE SACRI CORDIS

MEDIOLANENSIS

ECHUS VOCES

Marcus Nicolao s.p.d.

Care Nicolae,

epistulas Leoninas recentiores libenter legi, praesertim historiolas fabulasque in Latinum sermonem a te et a Paulo Kangiser conversas, quae dignae mihi videntur, ut in scholis iuvenibus legantur pro fabulis tritis satisque stultis a quibusdam modernis Latinarum litterarum (plus minusque) peritis sine phantasia fictis de quadam Tullia et de quodam Gaio, qui continenter pila ludunt Romae “sub moenibus altis” dicentes sententias haud memorandas quales “vitae, non scholae discere debemus” vel “otium pater vitiorum est”. Discipuli qui, in Italia saltem, Germanicam vel Anglicam linguam discunt narrationes fabellasque ad aetatem hodiernam pertinentes vel lepidas scitasque historiolas legunt et deinde experti operibus doctis clarorum auctorum student. Quidni simili ratione Latinitatis tirones erudiuntur? Si scripta nova exaranda sunt, sint et delectabilia et meditatione digna, absint nugae pueriles cum Stoicis praeceptis male coniunctae!

Hodie, exempli gratia, iuvenes nonnulli putant supervacuum et taediosum sermonum ac mythorum antiquorum studium esse, quia nihil vitae modernae utile doceat. Multi astronautae fieri cupiunt, antiquitatis cultores perpauci. Num veteres mythi inutilis sideralibus nautis sunt? Cum haec in animo volverem, mihi venit in mentem pellicula cinematographica illa, quae Anglice *Independence Day* inscribitur, quamque nuperrime secuta est pellicula altera de eisdem factis commenticiis, et fabellam cogitare coepi, qua mythus antiquus et res astrales hodie amatissimae arte in unum conferrentur, ut iuvenibus Latinam linguam callentibus necnon peritissimis *Epistularum Leoninarum* lectoribus letricibusque lepore et modis paene satiricis ostenderem antiquam sapientiam maximi esse momenti in orbe quoque huius aetatis, postmoderno et prope siderali. Tibi fabellam mitto una cum hac epistula electronica.

Optime vale

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedocus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedocus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD- ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD- ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM UNDECIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, 03. m.Iulii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>